

probrio sepultum iterato ex inferis revocant, illustrato terrarum orbi obtrudendum; ad vindicandam stabiliendamque veram Religionem iisdem accingor armis, quæ Evangelium, Judæis scandalum et Gentibus stultitiam, in orbem universum invexerunt. Dum interim Auctor et Consummator fidei, fidelium votis exoratus, largiatur ut festinato impetu propriam in perniciem ruat irreligio, et avita Christianorum sacra in dies lætius ac latius efflorescant.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

DE

PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

Visum est inscribere hæc institutiones de principiis Theologicis; tum quia decebat id quam minime distinguere per epigraphen, quod alias velut pars commentationibus prioris Tractatus inseri consuevit, tum quia hæc inscriptione planum erat complecti omnia, quæ per fidei regulas et Theologiæ fontes seu locos theologicos ab aliis designantur. Cum enim a D. Thoma p. 1. q. 33. a. 1. *Omne, a quo aliquid procedit quomodocumque, dicatur esse principium*, licebit Principiorum Theologicorum etiam nomine significare non tantum ea, quæ veritates a Deo revelatas continent aut infallibiliter proponunt, indeque fidei regula nuncupantur; sed et quæcumque sedes sunt et promptuaria, unde disciplina sacra de Deo rebusque ad Deum pertinentibus tractans, id est, Theologia sua argumenta desumit, quæ est locorum theologicorum descriptio. Quare sicut in horum censum communius referuntur Scriptura sacra, Traditio, Ecclesia, Concilia, Sedes Apostolica, seu Summus Pontifex, Patres, Scholæ Theologicæ, Juriscentia, Historia et Ratio humana; sic et illa eadem sub ampliore hac Principiorum theologicorum acceptione comprehenduntur. Quoniam vero non una istorum omnium vis est et efficacia, sed alia quidem veritates revelatas complectendo, objectum fidei ac disciplinæ theologicæ constituunt; alia autem veritates illas ostendendo subiectum utriusque facultatis dirigunt; alia demum easdem veritates vel custo-

ratur, quæ etiam ab Hebræis *Berith*, a Græcis *Διαθήκη*, à Latinis *Testamentum* dicitur; eo quod fœdus Deum inter et homines initum complectatur.

3. *Dico II.* Dividitur Scriptura Sacra tripliciter: 1^o ratione temporis, in Libros Veteris ac Novi Testamenti, ut insinuat Lactant. L. 4. Divin. Instit. C. 20. ita scribens: *Scriptura omnis in duo Testamenta divisa est. Illud, quod adventum Domini passionemque antecessit, Vetus dicitur: ea vero, quæ post Resurrectionem scripta sunt, N. Testam. nominantur*, etc. 2^o ratione materiæ, in libros legales, historicos, sapientiales seu morales, et propheticos. *Legales* nominantur, qui vel leges divinas vel doctrinam a Christo promulgatam complectuntur: *Historici*, qui rerum gestarum enarrationem faciunt: *Sapientiales* seu *Morales*, qui veræ sapientiæ ac bene vivendi monita, præcepta vel rationem proponunt: *Prophetici*, qui vaticinia et futurorum præsentia continent. 3^o ratione auctoritatis, in canonicos et apocryphos. *Canonici* dicuntur illi, qui non tantum quoad se sunt, sed etiam quoad nos habentur sacri et Deo afflante scripti, ideoque in Canone Ecclesiæ recensentur: *Apocryphi* hic non intelliguntur illi, qui a Deo minime sunt inspirati, ideoque ab Ecclesia positive reprobati et ex sacris Bibliis absunt; sed ii, qui auctoritatis sunt dubiæ vel obscuræ, ab Ecclesia saltem negative reprobati, ideoque, licet in Bibliis sacris nonnunquam permixti, tamen a reliquis libris distincti vel ad calcem voluminis rejecti conspiciuntur. Hujusmodi sunt Oratio Manasse, Liber 3 et 4 Esdræ, Appendix continens Genealogiam Jobi, Psalmus 151, Prologus Ecclesiastici, Præfatiuncula Threnorum, Liber 3 et 4 Machabæorum, etc. *Canonici* autem numerantur septuaginta duo, 45. nempe ad Vetus, et 27. ad Novum Testamentum spectantes (1).

(1) Librorum canonicorum nomina, numerum et ordinem versibus memorialibus ita subjicimus.

LIBRI VETERIS TESTAMENTI.

Genesis, Exo., Levit., Numerorum, Deuteronomi,
Josue, Judiciumque liber, Ruth, bis duo Regum,
Bis Paralip., Esdræ duo, Tobias, Judith, Esther,
Job, Psalmique David, Proverbia, et Ecclesiastes,
Cantica, tum Sapiens, tum Ecclesiasticus adsit.
Isaias, Jeremi, cum Baruch, Ezechielque,
Daniel, Osce, Joel, Amos, atque Abedias,
Jonas, Michæasque, Nahum, Habacuc, Sophonias,
Aggæus, Zachari., Malachi, bini Machabæi.

LIBRI NOVI TESTAMENTI.

Matthæus, Marcus, Lucas, Sanctusque Joannes.
Actus, Roma, Corinth. duplex, Galatis, Ephesisque,
Nec non Philippis, et Colossensibus una.
Thessalonica duas accepit, Timotheusque.
Tito, Philemoni, Hebræis datur una cuique.
Jacobi una, Petri binæ, ternæque Joannis,
Una Judæ. Finem Canonis facit Apocalypsis.

4. *Dico III.* Ex variis significationibus, quæ voci græcæ *Canon* pro diversitate disciplinarum illam usurpantium tribuntur, ea potissimum huic pertinet, qua Canon a SS. Patribus et Conciliis pro numero, indice vel catalogo accipitur: atque hinc libros sacros Canonis insertos diximus nuper vocari *Canonicos*, sicut etiamnum Clerici in cœtum alicui Ecclesiæ ministrantium adoptati appellantur *Canonici*, et relati in Album Sanctorum dicuntur *Canonizati*, Præcipua Canonis divisio est in Canonem Hebræorum, et in Canonem Christianorum seu Ecclesiæ Christianæ.

Canon Hebræorum probabilis est unicus, isque ab Esdra, sive simul cum magno Gentis consilio, sive solo tanquam præcipuo illius doctore confectus; certe nec Judæi nec Christiani antiqui ullum præter Esdrinum agnoverunt. Viginti duo volumina *VET. TESTAMENTI* in eo Flav. Josephus L. 1. cont. Appion. cum Judæis hodiernis, Origenes apud Euseb. L. 6. Hist. c. 23. Hilar. Præf. in Psal., et Hier. in Prologo Galeat. enumerat; quorum triplicem ordinem, nomina et partes postremus l. c. exhibet, ut in Editione Vulgata sive in fronte sive ad finem Bibliorum videre licet. Hunc quidem numerum Melito Sardensis apud Euseb. L. 4. hist. C. 26. cum Rabbini quibusdam ad 24., Epiphani. L. 1. Hæret. 8. cum aliis ad 27., nonnulli ad 28. libros augent; reipsa tamen nihil amplius addunt, sed discernunt duntaxat libros in proprios sibi titulos, quos sub una et communi appellatione Hebræorum Canon concluderat: quemadmodum id Hieronymus proxime laudatus ostendit. Ab eodem autem absunt Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum primus et secundus, Estheris septem capita postrema, et Danielis illa capita, quæ Hymnum trium puerorum, et historiam Susannæ ac draconis a Daniele interfecti sistunt; vel quia hebræo idiomate non erant scripti, vel quia post Esdræ tempora primum litteris exarati.

Canon Christianorum genuinus ac integer ille est, quem sedes Apostolica testantibus Innocentio I. in ep. ad Exuper. c. ult. et Gelasio in Conc. Rom. semper tradidit, Ecclesia Africana tum definiente Conc. Carthaginensi III. et IV. tum prædicante S. Augustino L. 2. de Doctr. Christ. C. 3. adoptavit, tandem Catholica Ecclesia per Conc. Florent. in Decr. Eugen., ad Armenos et Tridentinum Sess. 4. in Decr. de Canonicis Scripturis confirmavit et declaravit. Continentur eo libri omnes *VET. et NOV. TESTAMENTI* superius enumerati septuaginta duo: a quo numero non discrepant Gelasius aut Patres Africani illum non nihil imminuentes; cum Baruch a Jeremia non distinxerint tanquam hujus amanuensem, et librum unum duntaxat Esdræ ac Machabæorum recensentes, non pluralitatem horum librorum, sed Apocryphos tantum ejusdem nominis libros excluserint. Quoniam vero non eadem semper et ubique librorum istorum ratio fuit habita, invaluit eorum distinctio in *protocanonicos* et *deuterocanonicos*.

Protocanonici, seu primi ordinis aut primi canonici, dicuntur illi, de quorum divinitate nullum unquam inter Catholicos fuit dubium, et hinc statim ab initio nascentis Ecclesiæ communi orthodoxorum Patrum consensu fuerunt recepti; quales in *Vet. Testamento* sunt quinque libri Mosis, et in *Novo* quatuor Evangelia, ac alii similes. *Deuterocanonici*, seu secundi ordinis, sunt illi, de quorum divinitate aliquando etiam inter orthodoxos dubitabatur, vel negans etiam ferebatur sententia, ut ex Melitone apud Euseb., Hilar. in præf. ad Psal., Gregor. Naz. Carmine de veris Scriptur., Cyril. Hier. Catech. 3.,

Synops. Athanas., Hier. in Prol. Gal., Damasc. L. 4. de fid. C. 18., Canon. Apost. 83., Conc. Laodiceen. Can. 59. etc., constat. Hujusmodi ex Vet. Test. sunt ii, quos supra abesse diximus a Canone Hebræorum, quem plures Patrum sequebantur; cum tamen juxta celebre Card. Hosii, desumptum ex Aug. L. 18. de Civ. C. 36., effatum non Canon Hebræorum, sed Ecclesiæ, canonicas faciat scripturas. Ex novo testamento sunt Marci cap. ultimum, Luca C. 18. historia de agone Christi, Joannis C. 8. historia adulteræ, ep. ad Hebræos, ep. Jacobi, 2 ep. Petri, 2 etc. 3 ep. Joannis, ep. Judæ, Apocalypsis.

5. *Dico IV. Lingua seu idioma primigenium, quo codices Scripturæ Sacræ autographi et originales conscripti fuerunt, universim fere solum est Hebraica et Græca; tum quia, licet lingua Chaldaica et Syriaca a pure Hebraica differant, tamen illæ ab hac originem trahunt, et post captivitatem Babylo-nicam ac prope finem Synagogæ fuerunt Hebræis vulgares ac velut maternæ; tum quia unum dumtaxat Marci Evangelium juxta aliquos primo fuit latine exaratum, quod tamen communius ab aliis tam ex conjecturis quam ex auctoritate negatur. Hebraica lingua propria fuit Testamento veteri, exceptis libris Tobie, Judith, Esdræ et Danielis, qui Chaldaice, et libro Sapientie ac secundo Machabæorum qui græce primitus dati censentur: Græca lingua nativa erat Testamento novo, si Evangelium Matthæi et epistolam ad Hebræos excipias, quorum illud communis consensus, hanc Hieronymus et Theodoretus contra Origenem et Clem. Alexandrinum Hebraica, id est, Syriaca lingua primum prodiisse docent. Cæterum Scripturæ Sacræ autographa sive originalia hodie habemus nulla, sed solum apographa sive exemplaria, quorum editiones variæ prostant. In his vero maxime notanda est diversitas editionis Hebræicæ, utpote quæ vel punctis vocalibus et accentibus caret, vel illis consignata est; cum hujusmodi notæ nec ab Auctoribus ipsis Sacrarum Scripturarum nec ab earumdem editoribus antiquis fuerint usurpatæ, sed primum post Hieronymi tempora circa an. Christi 600, aut etiam serius inventæ et additæ a Judæis Masoretis, sic dictis a masora, quæ Critica quædam sacra est, qua variæ in tota Scriptura notantur lectiones simulque determinatur, quoties, quo loco, et qua forma quælibet dicitio in textu hebraico occurrat.*

6. *Dico V. Versio seu translatio Scripturæ Sacræ ex lingua primigenia in alienam a nonnullis dividitur universum in Hebraicam, Græcam, Latinam et Vernaculam: divisio tamen ista minime vera est et propria, nisi sub Hebraica intelligantur illæ versiones, quæ ad illam linguam aliquomodo reducuntur, aut Græca versio respiciat Vetus Testamentum; cum utraque lingua ex dictis sit Scripturæ originaria.*

Ad editionem *Hebraicam* reducuntur versio Samaritana, Chaldaica, Syriaca. *Samaritana* sermone Syro-Chaldaico et characteribus antiquis Hebraicis scripta est ante Christum ab Auctore incerto, et maxime libros Mosis complectitur; unde et Pentateuchus Samaritanus appellatur. *Chaldaica*, non tam verbum verbo quam sensum sensu paraphrasticè reddens, unde et Judæis *Targum* seu interpretatio dicitur, non ante seculum a Christo quintum concinnata est secundum diversas Vet. Testamenti partes ab Onkeloso,

Jonatham et Josepho cæco; scætet nugis Judaicis et fabulis Thalmudistarum. *Syriaca* versio Vet. Testamenti post Christi ortum elaborata est ab Auctore incerto, quod idem dicendum videtur de Nov. Test. versione, quam Syri a S. Marco Evangelista confectam putant.

Græca Vet. Test. versio est multiplex. Novem præcipuas aut saltem certas secundum chronologiæ seriem hic subjicimus. 1^a est, quæ dicitur 70 *Interpretum*. reipsa autem a septuaginta duobus viris ante Christum natum seculo 3 ut Eusebius in Chronico, vel 7 ut Epiph. L. de Ponder, et mensur. scribit, confecta narratur. 2^a. *Aquilæ*, qui natione Ponticus. religione primum gentilis, deinde Christianus, postea, dum ob Astrologiæ judicariæ studium ab Ecclesia pulsus, Judæus factus versionem an. aere Christianæ 128. condidit. 3^a. *Theodotionis*, qui ex hæretico Marcionita mutatus in Judæorum proselytum sacros libros an. 186. transtulit. 4^a. *Symmachi*, natione Samaritani primum Judæi, tum Christiani, demum Ebionitæ hæretici, an. 203. perfecta. 5^a. *Hierichuntina*, sic dicta non ab Auctore, qui ignoratur, sed ab urbe Hiericho, apud quam an. 217. fuit inventa: 6^a. *Nicopolitana*, similiter a loco inventionis sic appellata, quæ in an. 228. incidit. 7^a. *Origenis*, seu potius 70 Interpretum versio correctæ; quam correctionem circa medium sec. 3. Origenes ita instituit, ut quæ in illa versione non legebantur in textu Hebræo et aliis versionibus, vel expungeret textu ex his substituto, vel quidem relinqueret, sed tamen notaret; pro signo substitutionis asteriscum, qui formam stellæ radiantis vel hanc (X) referebat, pro signo relictionis obelum hujus (: —) formæ usurpans et addens. 8^a *Luciani* Martyris in persecutione Diocletiana passi, circa finem sec. 3 adornata, 9^a *Hesychii*, Episcopi in Ægypto et Martyris, qui sec. 4 non tam versionem novam, quam 70 seniorum versionis emendationem accuratiorem edidit. Priores 4 versiones collegit Origenes in unum volumen, qualibet pagina in quatuor columnas distincta, quarum 1^a versionem Aquilæ, 2^a Symmachi, 3^a Septuaginta interpretum, 4^a Theodotionis, ordine hoc a majore cum textu hebraico conformitate desumpto, contineret, et *Tetrapla* nuncupavit: his columnis dum postea præfigeret in singulis paginis duas alias, quarum prior exhiberet textum Hebraicum litteris hebraicis, altera eundem litteris græcis exaratum, hanc editionem *Hexapla* inscripsit: demum ubi sex illis columnis subjungeret duas alias columnas Hierichuntinam et Nicopolitanam continentes, hoc opus *Octapla* vocavit. De versionibus reliquis tribus S. Hier. præf. in Libr. Paralip. adnotavit, Hesychianam Alexandriæ et in Ægypto, Lucianam Constantinopoli usque ad Antiochiam, Origenianam autem mediis inter illas provinciis vulgatam maxime fuisse, et posteriorem audisse *κοινήν* seu communem.

Latina utriusque testamenti versio sub finem seculi 4 multiplex adeo erat et variabat, ut S. Hier. præf. in Josue diceret ejus tot esse exemplaria, quot codices, eaque S. Aug. L. 2. de doctr. Christ. C. 11. numerari posse negaret. Inter has præ reliquis celebrabatur una incerti auctoris ad ductum 70 Interpretum Vet. Testamentum latine exhibens, quæ a S. Augustino l. c. *Itala*, a S. Hier. in C. Isa. 14. *Communis et vulgata*, a S. Greg. in præf. ad Lib. Mor. C. 5. *vetus* seu antiqua appellatur. Altera post hanc memoranda venit, quæ a S. Hieronymo adornata, relate ad priorem *Nova* vocatur. Ea in V. T. est duplex: prior, qua secundum versionem 70 Interpretum Jobum

Psalterium, Proverbia et Ecclesiasten e græco transtulit in latinum, alios autem antiquæ versionis latinæ libros duntaxat emendavit: posterior, quam tam libros Canone Hebræorum contentos, exceptis tamen Ecclesiastico, Sapientia et Baruch, quam absentes ab eo Canone Tobiam et Judith ex hebraico textu latine convertit. In N. T. non tam versionem novam, quam emendationem tantum versionis antiquæ ad textum græcum S. Doctor confecit. Atque hæc N. T. emendatio summo statim plausu suscepta fuit a plerisque, cum e contra Vet. Testamenti ex hebraico in latinum translatio adversarios ab initio haberet plurimos; licet postmodum, ut de suo ævo Greg. I. c. testatur, non minus ac antiqua usurpari cœperit. Ex versionibus his duabus coaluit tertia, quæ hodie dum *vulgata* dicitur. Sectatur enim ea quoad V. T. antiquam versionem in libris Psalmorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch et Machabæorum; novam vero ex hebraico translationem in libris reliquis: quoad N. T. demum habetur pro emendatiore Hieronymiana. Recentiores versiones latinas, posterioribus seculis sive a Catholicis sive ab Hæreticis factas, recensendo prosequi, nostri non videtur instituti.

Vernacula seu vulgaris versio dicitur, quæ lingua cuilibet regioni propria et patria concinnata habetur: adeoque pro tanta idiomatum varietate oppido varia et multiplex facile intelligitur. Inter has ab antiquitate celebrantur, *Gothica*, quæ circa Conc. Nicæni tempora perhibetur facta ab Ulphila Gothorum Episcopo, ut Socrates et Sozomenus innuunt: *Coptica* sive *Ægyptiaca*, quam circa idem tempus elaboratam Kircherus conjicit: *Æthiopica*, cujus jam S. Chrysostomus hom. 1. in Joan. meminit: *Armena et Persica*, quarum mentionem facit Theodoretus; licet posterior, ut nunc extat, videatur esse recentior.

7. *Dico VI.* Sensus Sacræ Scripturæ est veritas verbis sacris scripto exaratis a Deo significata; sumendo scilicet sensum passive, et Scripturam ut est verbum Dei. Dividitur in litteralem seu historicum, et spiritualem seu mysticum. *Litteralis* est, qui immediate significatur per verba sive proprie sive metaphorice accepta; quo etiam reducitur sensus propheticus, in quo visiones saltem divisim non significant ut quod (1). *Spiritualis* est, qui immediate significatur per res verbis indicatas, mediate autem per verba. Hic postremus subdividitur in allegoricum, anagogicum et tropologicum seu moralem. *Allegoricus*, qui est de re pertinente ad fidem aut Ecclesiam militantem: *Anagogicus*, qui est de re pertinente ad vitam æternam aut Ecclesiam triumphantem: *Tropologicus*, qui est de re ad mores pertinente. Exemplum quadruplicis sensus occurrit in hac voce *Hierusalem*, quæ litteraliter urbem Palæstinæ, allegorice Ecclesiam Christi in terris, anagogice patriam cœlestem, tropologice animam hominis in sacra Scriptura significat.

Præter hos sensus a Deo intentos superest alius, *accommodatitius* appella-

(1) In hujusmodi visionibus, non significatur *immediate* et *ut quod* imago objectiva v. g. *hircus* (Dan. c. 8) aut *flos* (Isa. c. 11), sed res per ipsam objectivam imaginem significata, nempe *Christus* vel *Rex Græcorum*, quatenus imago objectiva cum cognitione constituit unum signum *Christi* vel *Regis Græci*, ut fit in locutionibus metaphoriceis. (P. Franc. Xav. Widenhofer S. J. Sacra Scriptura dogmaticæ ac polemice explicata. Wirceburgi, 1755.)

tus, estque is, qui nec mediate nec immediate significatur a Deo, sed ab alio quocumque propter analogiam quamdam et similitudinem tribuitur et verbis applicatur. Ut is licite usurpetur, requiritur 1º ut verba Scripturæ ad res pias et religiosas accommodentur; unde Conc. Trid. Sess. 4. in decr. de Can. Scripturis translationem ad vitia, spurcitas, facetias, profana et alia hujusmodi damnat: 2º ut sensus accommodatitius sit verus; cum nefas sit, sacris verbis etiam tantum per accommodationem falsum attribuere: 3º ut sensus accommodatitius non proferatur tanquam litteralis aut mysticus, nec vicissim litteralis aut mysticus traducatur ut accommodatitius; cum ex S. Hier. in ep. ad Paulin. hoc sit depravare sententias, et vitiosissimum dicendi genus.

QUÆRES: *Quid de historia Versionis LXX Interpretum sit censendum?*

8. *Nota.* Synopsis hujus historiæ, prout ab Aristæa in epistola ad Philocraten fratrem suum data in Bibliotheca Patrum relata narratur, sequentibus absolvitur. PTOLOMÆUS Ægypti Rex, cum libris undequaque corrasis bibliothecam construeret amplissimam, suggerente DEMETRIO PHALERÆO intellexit, apud Judæos inveniri libros, qui huic collectioni esse possent præcipuo ornamento, dummodo in linguam græcam converterentur. Hunc in finem Rex datis litteris, et legatis Aristæa cujus epistolarem epitomen damus et Andrea in Judæam missis, petiit ad se mitti e tribus Judæorum viros seniores, græce et hebraice doctos, qui libros Judæis sacros secum allatos in græcum verterent. Delatum est votis regiis, veneruntque delecti ex qualibet tribu viri sex requisitis donis conspicui, universim quidem septuaginta duo, brevitatis tamen et in numerando facilitatis causa septuaginta dicti, una cum voluminibus sacris et litteris commendatitiis. Alexandriam, quæ Ægypti metropolis est, appulos Rex honorificentissime excepit, et post tertium ab Adventu diem in Insula Pharo, hoc est, in arce ab Alexandria septem stadiis distante collocavit; ubi septuaginta duorum dierum spatio iidem translationem græco sermone absolverunt. Interpretationem hanc DEMETRIUS coram Judæis in Ægypto commorantibus legit, qui summis eam celebrarunt laudibus, diras imprecati his, qui versioni huic addere quidpiam vel demere, aut in ea immutare præsumerent.

9. *Respondeo I.* Historia hæc quoad substantiam non videtur esse commendatitia et rejicienda ad fabulas. *Ratio* est, quia quoad puncta principalia synoptice proposita conveniunt Scriptores cœvi, ætate propinqui, et posteriores pietate et doctrina conspicui: cujusmodi sunt Aristæas ipse, legati munere functus; Aristobulus Judæus Philosophia Aristotelica clarus, 2. Machab. 1. laudatus; Hecateus et Clearcus, Scriptores Ethnici: Philo L. 2. de vita Mosis, et Flav. Josephus L. 12. Antiq. C. 2. et L. 2. contra Appionem, Scriptores Judæi: Justinus M. in Admonit. ad gentes et Apolog. 2; Ireneus L. 3. C. 25. contra hæreses; Tertullianus in Apologetico C. 18.; Clem. Alexandrinus L. 1. Stromatum; Eusebius L. 8. C. 1. Præpar. Evangelicæ; Cyrill. Hierosolymitanus Catech. 4; Epiphanius L. de Mens. et Ponderibus; Hieronymus in Præf. ad Pentateuch. et alibi; Augustinus L. 8. de Civ. C. 11. et L. 2. C. 15. de doctrina Christiana et alii Scriptores Christiani; quorum

plures cum illa historia usi fuerint contra gentiles et Judæos, nec tamen commenti ab his sint accusati, omnino vera narrasse censendi sunt.

10. *Respondeo. II.* Quoad circumstantias ipsam versionem contingentes, ob conspirantia Auctorum nominatorum testimonia, probabilius videtur. 1^o Regem Ægypti fuisse PTOLOMÆUM PHILADELPHUM; cum illius patrem Ptolomæum Lagi nominent soli Irenæus et Clem. Alexandrinus: alii vero recentiores, qui bibliothecæ erectionem ad tempora Ptolomæi Evergetis aut Epiphaniis vel etiam posteriora remouent, suam chronotaxin non admodum probent. 2^o ELEAZARUM Pontificem fuisse eum, qui ad preces Ptolomæi misit Interpretes; adeoque vel manifesto anachronismo errasse vel memoria lapsum Justinum, qui Herodis auctoritate missos Interpretes in Apolog. scripsit: Epiphanius autem Synedrion missionis auctorem faciens facile conciliari potest. 3^o Non solum Pentateuchum, sed omnes Hebræi canonis libros ab Interpretibus fuisse translatos; quamvis enim Aristæas, Philo et Josephus Scripturarum Legis solum mentionem faciant, Legis tamen nomine acceptam a Judæis fuisse omnem Vet. Testamenti Scripturam Sacram ex Joan. 10. ac 15. et 1. ad Cor. 14. constat. Nec adversatur reipsa HIERONYMUS, utpote qui in commentariis Prophetarum passim versionis hujus mentionem facit: unde dum nonnunquam contrarium dicere videtur, id non asserendo sed subdubitando aut ex aliorum sensu fecisse dicendus est. 4^o Translationem ab Interpretibus esse ex puris fontibus et rite factam; quia rursus præter majorem circa hoc Auctorum consensum, id probat hujus versionis usus inter Apostolos, sanctos Patres et priorum seculorum Christianos vulgaris: unde discrepantia ejus a textu hebraico ad exemplaria corrupta, non vero ad autographum referenda est, ut ipse HIERONYMUS in Præf. 1 et 2 ad Lib. Paralip. facit; qua ratione idem alibi aliud dicens est explicandus.

11. *Respondeo. III.* Quoad modum versionis factæ (an singuli Interpretes scilicet in singulis cellulis inclusi fuerint, sicque seorsim totam Scripturam iisdem plane verbis converterint, an collatis invicem studiis interpretationem fecerint) non satis exploratum sed adhuc sub judice lis est. Cellularum mentionem primus fecit Justinus in admonit. ad gent., quem Irenæus, Clemens Alex. Cyrillus Hieros. sunt secuti; nec dissensit Epiphanius, nisi quod voluerit binos singulis cellulis fuisse inclusos. Eidem sententiæ adheret AUGUSTINUS L. 8. de Civ., et favet Philo, dum ita scribit: *In eo secessu cum consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro, tanquam numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter.* Contrarium tuetur HIERONYMUS in præf. ad Pentateuch., ubi sic loquitur: *Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitant; cum Aristæas et multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant.* Et ARISTÆAS quidem ita rem narrat: *Viri singula inter se disserendo consonum quod edebant: rursusque ex iis, in quibus omnium consensus accesserat, illa Demetrio habenda servabant, quæ digniora et elegantiora videbantur. Extendebatur vero consensus hujusmodi et disceptatio ad nonam usque diei horam; soluto vero hujusmodi*

consilio ad curanda corpora disceditur. JOSEPHUS autem sic refert: *Illi vero non parcentes labori, quam poterant accuratissime interpretabantur usque horam nonam assidentes operi... Mane autem regiam ingressi, salutato Rege, in eundem locum ad institutum negotium se referebant.* Accedit, quod juxta eosdem fuerit unicus codex Hebraicus, ex quo versio erat facienda; et quod ea absoluta Judæi Alexandrini fuerint convocati, ad audiendam examinandamque interpretationem: id quod de communiter facta rectius intelligitur; cum, si a singulis facta fuisset, plures inter se traductiones fuissent conferendæ, et unica coram Judæis prælegi non potuisset. Eadem dissensio regnat inter Recentiores eruditos.

Cum posteriore hac opinione conciliari nihilominus potest sententia statuens Interpretes hos fuisse divinitus inspiratos, ut non solum Patres proprio opinione laudati, sed et ipse Hieronymus in præf. ad Paralip. senserunt; cum etiam ex mente Bellarmini revera miraculum sit, tot homines simul conferendo tam brevi tempore in singulis sententiis transferendis convenisse; ac singularis Spiritus Sancti assistentia proinde necessaria fuerit.

ARTICULUS II.

An existat Scriptura Sacra.

12. *Nota. I.* Existere reipsa aliquam Scripturam Sacram facile deducitur ex sequentibus propositionibus, quarum veritatem vel per se certam vel alibi jam probatam hic supponere licet. 1. Existit Deus, seu ens, quo nullum majus aut melius excogitari potest. 2. Deo ab hominibus debetur cultus, seu officia honoris. 3. Norma hujus cultus est Dignitas Dei et ejus beneplacitum. 4. Modus colendi, qui Deo placeat, ex ejus revelatione est addiscendus. 5. Revelatio hæc per rationis lumen communicari potest, et sic est naturalis; vel illud superare potest, et hinc est supernaturalis. 6. Cum experientia constet, rationis lumen in multis circa Deum deficere; consequens est revelationem supernaturalem fuisse necessariam, et Religionem supernaturalem existere. 7. Inter modos revelationem custodiendi convenientior est Scriptura: inter religiones autem sola Christiana est vera et saltem evidenter credibilis. 8. Religio Christiana dirigitur et utitur revelatione scripta, ergo cum hæc religio sit vera, debet existere et dari revelatio scripta seu aliqua Scriptura Sacra.

Quamvis vero ex iisdem principiis colligi queat, Scripturam Sacram in specie et sensu vulgari acceptam existere; nihilominus de ejus existentia aliunde etiam probanda in præsens agitur. Ad quod præstabit inquirere, 1. An libri, qui dicuntur sacri sint veri ac genuini, et non supposititii seu Auctoribus falso attributi: 2. An sint integri, seu non depravati: 3. An sint divini, seu Deum pro auctore principali habeant?

13. *Nota. II.* Circa 1^{am} conveniunt plerique, auctorem Pentateuchi fuisse Mosen, exceptis paucis de morte Mosis aliisque post illam eventis, quæ vel Josue vel Esdras addidisse creduntur: Libri Josue eundem Ducem cognominem, rursus exceptis paucis similibus ab Esdra aut alio Propheta additis: Libri Judicum et Ruth vel Samuelem vel scriptorem incertum, Davide tamen